

8.4.6

Imppp. Gratianus Valentinianus et Theodosius AAA· Pancratio pu.

Meminerint cuncti, sive vulgato rescripto mansuetudinis nostrae sive sententia cuiuslibet iudicis utantur in causis, conveniendos dominos locorum esse aut, si forte defuerint, actores eorum ad insinuandas sententias procuratoresque quaerendos, ne inde iniuriarum nascatur occasio, unde iura nascuntur, quod si praecepta nostra implere neglexerint, omni negotio, de quo iurgare coeperant, privabuntur.

1 ¶ Sin autem habito plerumque colludio curatores vel tutores minorum his rem debitam ea occasione pervadant, ut pupillis vel adultis iurgandi copia et fructus adimatur, his eatenus subvenimus, ut eosdem non atterat damno culpa temeritatis alienae, sed ilico quidem possessio ei a quo est ablata reddatur, curatores autem vel tutores aeterna deportatione punitos bonorum quoque publicatio persequatur.

D. prid. non. April. Antonio et Syagrio cons. [a. 382]

8.4.7

*Imppp. Valentinianus Theodosius et Arcadius AAA.
ad Messianum comitem rerum privatarum.*

Si quis in tantam furoris pervenit audaciam, ut possessionem rerum apud fiscum vel apud homines quoslibet constitutarum ante eventum iudicialis arbitrii violenter invaserit, dominus quidem constitutus possessionem quam abstulit restituat possessori et dominium eiusdem rei amittat: sin vero alienarum rerum possessionem invasit, non solum eam possidentibus reddat, verum etiam aestimationem earundem rerum restituere compellatur.

D. XVII k. Iul. Trevisis Timasio et Promoto cons. [a. 389]

8.4.8

Imp. Arcadius et Honorius AA. Pasiphilo.

Momentariae possessionis interdictum, quod non semper ad vim publicam pertinet vel privatam, mox audiri, interdum etiam sine inscriptione, meretur.

D. VIII k. Ian. Mediolani Olybrio et Probino cons. [a. 395]

8.4.9

Imp. Zeno A. Sebastiano pp.

Si quando vis iudicio fuerit patefacta, dein super rebus abreptis vel invasis vel damno tempore impetus quaestio proponatur, si non potuerit qui vim sustinuit quae perdidit singula comprobare, taxatione ab iudice facta pro personarum atque negotii qualitate, sacramento aestimationem rerum quas perdidit manifestet nec ei liceat ultra taxationem ab iudice factam iurare: et quod huiusmodi iureiurando dato fuerit declaratum, iudicem condemnare oportet.

D. id. Dec. Constantinopoli post consulatum Armati vc. [a. 477]